

BR. 532, 54

B. M. T.



DE MALIS LONGAE PACIS  
PRAEEVNTE IVVENALI Satyr. VI. V. 347. 348.  
QVAEDAM COMMENTATVR  
ET

# V I R O S

DIGNITATE MVNERVM LAVDE ERVDITIONIS  
ATQVE FAVORE SCHOLAE NOSTRAE  
CONSPICVOS QVOSVIS  
AC PRAECIPVE X 231 6491

# E P H O R O S SCHOLAE GRAVISSIMOS

## VT ACTVI VALEDICTORIO

D. XXV. APRIL. POST FINITA SACRA MATVTINA  
HABENDO

VT ET

## EXAMINI VERNO

A. CICCI CICXXXXVIII.

D. XXVIII. APRIL. ET SEQVENTIBVS  
EODEM TEMPORE INSTITVENDO  
BENEVOLI INTERESSE VELINT  
OMNI QVA PAR EST OPERA

ROGAT

DANIEL TRAVGOTT MULLER

RECTOR SCHOL. SCHNEEBERG.

SCHNEEBERGAE

TYPIS CAROLI GUILIELMI FVLDAE.



2018-2019-2020-2021

ESTATE TAX AND OTHER FEDERAL TAXES WHICH ARE DUE

THIS IS A TEST IMAGE ONLY





Nobilissimarum et praestantissimarum Europae regionum per octo fere annos belli dissidio a se inuicem distractarum incolae palam queri de temporum suorum conditione solebant, quod multis calamitatibus publicis insignirentur. Reges et principes harum regionum abhorrebant plane ab exemplo impii et sanguinolenti Caligulae, qui de felici temporum suorum querebatur conditione (a). Cum enim viderent, belli flammam conualescere, et elegantissimam hanc orbis terrarum partem, ne bello tota ardeat, adire periculum: illi, ut patres patriae amantissimi, exorare coeperunt veniam pacemque Dei (b), summi omnium rerum arbitri. Legati igitur, fetialium munere fungentes, Aquisgranum ad foedus ferendum anno praeterito missi, diuina annuente gratia, opus hoc faustissimum perfecerunt. Triumphauit itaque Europa, et adhuc triumphat gaudio ex pace exoptatissima ortum suum trahente, et praesidem custodemque suum, Deum, precatur, ut paci, suo beneficio, faueat, tantoque muneri addat perpetuitatem (c). Huic tanto gaudio accessit aliud, huic omnino aequiparandum, memoria nimirum secularis pacis Westhalicae, qua composita, res Germaniae, per triginta annos bello variisque calamitatibus iactatae,

a 2

tan.

(a) Sueton. in Caligula Cap. xxxi.

(b) de hac formula vid.

Barn. Brissonius de Formulis et Solennibus Populi Romani Verbis, Libr. I. Cap. cxxxviii. (c) Plin. Panegyr. Cap. xciv.

tandem aliquando sunt tranquillatae, et otium diuitiaeque rursus affluere coeperunt. Vtriusque huius tanti et tam magnifici beneficij memoriam sartam tectamque ut conservarent, magnaes vrbes, celeberrimae academiae, florentissimae scholae, et alii viri clarissimi omnem adhibuerunt operam. Quod ad foedus Westphalicum attinet, ego quoque meam quamcunque symbolam dare nisus sum, dum prae-terito anno, memoriam illius pacis praefantissimae duabus orationibus recolendi, meis officium demandauit discipulis(d). Eos etiam, qui pacem Aquisgranensem nuperrime initam meritis decantauere laudibus, merito suspexi, dum iam quidem in intimo sinu pacis viuere, bonis a Deo concessis frui, et de hoc tanto Dei Optimi Maximi munere gaudere toti, qua patet, Europae licet. His me quoque adiungere, et materiam, quae huic paci suauissimae responderet, eligere, animo meditabar. Incidi vero forte fortuna in locum quemdam Iuuenalis, primo quidem intuitu huic meo proposito contrarium, at, si rem curatius insperxeris, non plane ab hac, quam mihi proposueram, via alienam. Cum nimirum vitia aetate sua Romae grassantia, et potissimum vitia seminarum acriter perstrinxisset, caussam libidinum vagarum hanc adiungit (e):

*Nunc patimur longae pacis mala; saeuior armis  
Luxuria incubuit, victumque vlciscitur orbem.*

Illud iam non attendo, quod magnifica et sesquipedalia verba de imperio romano in medium proferat, et victi orbis iniiciat mentionem. Omnes enim norunt, quod per orbem et orbem terrarum romani scriptores fere omnes intelligent romanum imperium, magnum illud quidem, sed ambitioso totius terrarum orbis nomine neutiquam dignum. Ipse Cicero, quod in multis terrae cultae partibus nomen romanum non audiatur, clare indicat(f). Et nihilo

(d) vid. Programma ipsis Calendis Iuniis a. 1748. a me publicatum.

(e) Sat. VI. v. 347. 348. (f) in Somnio Scipionis Cap. vi, circa finem.

Io tamen minus aliis locis hyperbola hac satis audacter vti-  
tur. Ex sexcentis, quae facili negotio colligi possent, exem-  
plis vnicum addo, dum nimirum hic eloquentiae romanae  
pater, quod Catilina orbem terrae caede atque incendiis  
vastare cupierit, refert(g), cum tamen ille audacissimus  
Catilina Romae, Italiae et romani imperii perniciem, aut  
potius tyrannidem, tantum affectaret. Plinius, vt alios  
taceamus, Neruam non solum Imperatoris, sed et paren-  
tis generis humani nomine ornat(h). Verum enim vero  
in hac re confessa non moror, sed proprius ad rem ipsam  
accedo. Mentre itaque Iuuenal is hanc esse video, quod  
multas regiones deuictas et diuitias pacemque longam lu-  
xuria et multa mala alia apud Romanos sint secuta. Hoc  
igitur Poëta elegantissimo praeēunte de *Malis Longae Pacis*  
paucula iam scribere mihi proposui. Sed pax! manum de  
tabula! Num mala longae etiam pacis nominari aut descri-  
bi possunt? Nonne potius verissima sunt verba Silii Italici  
in laudem pacis ita canentis (i):

- - - - Pax optima rerum,  
*Quas homini nouisse datum est; pax una triumphis*  
*Innumeris potior, pax custodire salutem*  
*Et ciues aequare potens.*

Quis est, qui Drancis verba apud Virgilium (k) in dubium  
vocare conetur?

*Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.*

Nonne omnes, quibus sensum natura dedit, nonne etiam  
agri atque tecta pace laetantur(l)? Nonne dulce bellum  
inexpertis(m)? Nonne bella sequitur densissima malorum  
cohors?

a 3

(g) I. Orat. in Catil. Cap. I. (h) in Panegyr. Cap. vi.

(i) Libr. XI. v. 594. seqq. (k) Aeneid. Libr. XI. v. 362.

(l) Cicero pro Lege Agraria ad Populum Orat. II. in Exordio.

(m) Hoc adagium assert, et copiosissima dissertatione adiecta ex-  
plicat Erasmus Roter. in Chiliad. Adag. centur. X. adag. 1.

cohors? Ita est; non nego, sed omnia largior. Verum his non obstantibus etiam pacis, et praesertim longae, mala non mediocria reperiri automo, licet lubentissime concedam, quod haec mala non ex ipsa pace, sed potius ex hominum negligentia aut improbitate proficiscantur. Maximum igitur malum, quod pacem comitarisolet, est luxuria. Et hoc ipsum malum est, de quo conqueritur noster Iuuenalis, qui verbis, iam supra excerptis, haec addit(n):

*Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo  
Paupertas romana perit.*

Et omnino verissimum hoc est effatum. Postquam enim Romani non solum totam Italiam, sed etiam exteris nationes quam plurimas bello deuicerant, eoque redegerant, vt omnes iniurias Romanorum illae mussitarent, et pacis tempore suis opibus Romanam augeri atque ornari paterentur: romana fortitudo, continentia, magnanimitas, aliaeque virtutes in peius ruere cooperunt, vt earum loco omnia libidinum vitiorumque genera atque mores deteriores increbrescerent, et tandem vastissimum illud imperium, mole laborans sua, lapsu grauissimo rueret, et in formam satis modicam redigeretur. Et quid mirum?

*Luxuriant animi rebus plerunque secundis,  
Nec facile est, aequa commoda mente pati(o).*

Nonne vero pacis tempore res maxime secundae sunt? Nonne tunc mercatura est quaestuosa, et aratio fructuosa? Nonne tunc procellae subsidunt, et calamitates vel plane exulant, vel certe leuiores sunt? Egregie itaque Valerius Maximus, vrbi nostrae, inquit(p), secundi belli punici finis et Philippus, Rex Macedoniae, deuictus licentioris vi-

tae

p. m. 845 - 861. quo lectorem plura de belli incommodis legere cipientem, ablegatum volo.

(n) l. c. v. 349. 350. (o) Ouid. de Arte Amand. Libr. II. v. 427. (p) Libr. IX. Cap. i, exempl. 3. edit. Min. Ell. p. 489.

tae fiduciam dedit. Quodnam vero vitium perniciosius est reipublicae , quam blandum hoc malum , luxuria , quam accusare aliquanto facilius est , quam vitare(q). Luxuria est fons delicatae ac mollis vitae, adulteriorum, peruersae liberorum educationis, inopiae, ferociae, seditionis, aliorumque quam plurimorum vitiorum , quae omnia reipublicae pestem interitumque minantur, saepiusque attraxerunt. Sicuti luxuries segetum nocua est frugibus, et depascenda , nisi detrimentum inde velit capere agricola; quemadmodum arbores, foliorum ramorumque luxuria nimis exuberantes, horti dominum fallunt, nec facile pomaria ferunt: ita quoque luxuria impedit, quo minus respublica habeat ciues frugiferos atque frugales, adeoque mirandum non est, quod Deus pacem longam nostris temporibus non concedat. Sed alia quoque pacis longae mala mihi occurruunt, quae nunc sunt indicanda. Disciplina enim militaris labitur et extinguetur saepius, pace reconciliata, nisi omne studium adhibeat princeps vel dux militaris, ut istam refoueat aut conseruet. Tacitus, grauissimus scriptor, hac de re testimonium perhibeat, ita scribens(r): Corbuloni plus molis aduersus ignauiam militum, quam contra perfidiam hostium erat. Quippe Suria transmotae legiones, pace longa segnes, munia Romanorum (vel, ut Ryckius ex Freinsheimio legendum esse monstrat(s), armorum) aegerrime tolerabant. Reliqua verba ab hac tractatione non abhorrentia, ipse Tacitus, si eum euoluere Tibi, Lector Suauissime, lubuerit, Tibi probabit. Janus Gruterus igitur in Discursibus suis Politicis ad Tacitum, Lipsiae a. 1679. editis, egregie demonstrat(t), armis inuitatos vincendos voluptatibus, et (v) militum otium, aliorum omnium, circa quos agunt, esse negotium. Multi itaque populi, bello adsueti, ne otio disfluerent, bella susepe-

(q) vti loquitur Valer. Max. I. c. ex. i. p. 487. (r) Annal. Libr. XIII. C. 35.

(s) in Notis ad Tacitum p. 212.

(t) Cap. 25. p. 222. seqq.

(v) C. 38. p. 336. seqq.

sceperunt. Spartani, ne vires otio corrumperent, et vt bis  
illatum a Persis Graeciae bellum vlciscerentur, vltro fines  
eorum depopulabantur(x). Turcis idem consilium saepi-  
us placuit, et barbari hi, ne copiae eorum, ad seditionem  
pronae, turbas mouerent, Christianis vel etiam Persis non-  
nunquam bellum intulerunt. Licet autem ego haec bella  
minus esse probanda censem, siquidem scio, quod bella  
fuscienda sint ob eam caussam, vt sine iniuria in pace vi-  
vatur(y): certum tamen esse opinor, quod multi exercitus,  
in bello clarissimi, pacis tempore adeo corrupti sint, vt  
principi, cuius stipendia meruerunt, maximum inferrent  
damnum. Vnicum exercitus Hannibal exemplum iamiam  
adduxisse mihi sufficiet. Hic exercitus, qui antea tantum Ro-  
manis terrorem incusserat, vt, Hannibal nomine auditio,  
tremerent; otio et illecebribus Campaniae ita torpuit, tam mol-  
lis et effeminatus redditus est, vt postea a Romanis facili vin-  
ci posset negotio. Id quod probe cognoscens Valerius  
Maximus exclamat(z): Campana luxuria perquam utilis  
ciuitati nostrae fuit. Inuictum enim armis Hannibalem,  
illecebribus suis complexa, vincendum romano militi tribuit.  
Dum itaque necessitas postulat nostra aetate, vt etiam pace  
florente milites alantur, prudentes duces omnem mouent  
lapidem, vt milites exerceantur, omnibus bellicis negotiis  
assuefiant, et militaris disciplina seruetur, ne malum hoc,  
quod non raro pacem comitari solet, defectus nimirum  
virtutis et disciplinae bellicae exercitum inficiat. Sed nec  
haec mala, quamuis magna, sufficiunt, alia quoque, pace  
diu durante, exoriuntur atque nascuntur. Securitas, vel,  
vt rectius dicamus, incuria et supina negligentia horum  
malorum minimum non est. De maculis carminum men-  
tionem iniicit Horatius(aa), quos aut incuria fudit, aut  
humana parum cauit natura. Sed maculas plures fundit  
incu-

(x) teste Iustino L. II. C. 15. §. 13.

(y) Cic. L. I. de Offic. C. XI.

(z) Libr. IX, C. I. ex. ext. I.

(aa) De Arre Poet. v. 352. 353.

incuria in republica, potissimum, si illa ab omnibus periculis immunis esse putatur. Meridiano enim sole est clarus, neminem celerius opprimenti, quam qui nihil timet, et frequentissimum initium calamitatis esse securitatem (bb). Res per se loquitur, nec operosa probatione indiget; qui vero multa egregia hac de re legere cupit, adeat Lipsium, qui, quantum securitas in bello afferat detrimentum, egregiis locis et maximis exemplis euincit (cc). Quidni etiam incuria nimia, ex pace orta, hostibus regionem opprimendi suppeditaret occasionem? Arrogantia numerum malorum, quae pace florente saeuunt, augere solet. Sallustius damna superbiae in regibus atque imperatoribus belle proponit, sed et de aliis hominibus, illis auctoritate longe inferioribus, haec verba facillime explicari possent. Ita vero ille (dd): Quod si Regum atque Imperatorum animi virtus in pace ita, ut in bello, valeret, aequabilius atque constantius sese res humanae haberent, neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneret. Nam imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum, ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia inuasere; fortuna simul cum moribus immutatur. Praeterea etiam animi hominum ita sunt comparati, ut fortuna secunda, et ita etiam pace longa, gaudentes adeo efferantur atque intumescent, ut preces, cultus summi numinis, et ipsa religio, frigeant. Romanos non prius Iani templum, quam toto suo, eoque vastissimo, imperio ab omni bello et ab hostibus omnibus libero, clausisse, notissimum est (ee). Profecto homines pace longa recreati non Iani, sed summi numinis templum claudunt, eiusque cultum saepius tanti non faciunt, quam antea consueuerant. Res in aprico est posita, et potissimum

b

Iude-

(bb) Vell. Paternus Libr. II. c. 118.

(cc) Libr. V. C. 16.

23. seqq.

(dd) Bell. Catilin. c. 2.

(ee) Cur Iani

templum pacis tempore clausum fuerit, ostendit Rosinus  
in Antiquitat. Rom. Libr. II. Cap. 2. p. m. 208.

Iudeorum exemplis ita confirmata (ff), vt plura addere non libeat. Quin etiam pax ipsa, omnibus votis antea expetita, minoris plerumque aestimatur, quam par erat, si ea delectamur. Quotidiana enim vilescant; siquidem nec homo sanitate quotidie gaudens eius praestantiam tantis laudibus exornat, quantis aegrotus, aut is, qui modo ex morbo conualuit; nec alius oculorum utilitatem tam exacte nouit, qui eorum visu nunquam priuatus fuit. De alio pacis longae, de quo nonnulli queruntur, malo, nempe de nimia hominum copia, nil addam, quoniam hanc copiam non malis, sed bonis annumerandam esse reor. Hoc vnicum, antequam huic tractationi colophonem impono, adiicendum credo, quod sapientissimum sapientissimi numinis sit consilium, quod nunc pacem florere, nunc bellum grassari iubeat, vt homines a multis malis reuocet, et venenum veneno, mala malo pellat. Quid vero inde? Optandum ne est, vt bellum rursus exardeat, et pax, Europae vix reddita, denuo euanescat? Absit! Mala, quae bellum generat, longe peiora sunt, quam ea, quae pacem sequi solent. Demum itaque supplices veneremur, vt pax exoptatissima et plurimo sanguine parta per multos annos teneat atque virtutatem ferat, bellum vero exulet, licet iamiam quibusdam Europae regionibus denuo imminere videatur. Et tandem Deus omnium et principum et ciuium animos ita dirigat, vt pace rite et ad summi numiniis gloriam vtantur, ne illa e terris discedere hominum improbitate cogatur. His vero de pace praemissis, vos, viri pie Colendi, meis discipulis estis conciliandi, et tam ad actum valedictorium, quam ad examen publicum omni studio conuocandi. Surget nimirum

I. Ernestus Henricus Haussdoerffer,

*Chemnicens. Misn.*

Inuenis honestissimus, et ingenio florentissimus, carissimus  
carissi-

(ff) appetet hoc ex multis Script. S. et potissimum Libr. Iudic.  
locis, ex. gr. II, 13. seqq. III, 11. 12. X, 6. seqq.

carissimi mihi quondam, et post fata etiam praematura de-  
fideratissimi patris filius. Huius patris mihi coniunctissi-  
mi, antequam moriebatur, cura fidei meae commissus fili-  
us, per octo annos scholae nostraes ciuem egit, et quidem  
talem, ut laude probitatis virtutisque, et amore litterarum  
omnino sit commendandus. A libidinibus et petulantia  
abhorrens in linguis graeca, latina et gallica, ut et in Poësi  
vernacula et aliis scholasticis disciplinis vel fundamenta po-  
suit non contemnenda, vel profectus habuit exoptatos.  
Plura scriberem, nisi recordarer, vitio mihi verti posse, si  
homini mihi cognato, et filii loco semper habito, panegyri-  
cum scribere sustinerem. Macte itaque, mi Haufsdorffse-  
re, probitate, eruditione et elegantioribus moribus, et re-  
gulis academicis, a me alio tempore delineatis, probe vte-  
re. Macte fortuna, flore fauore Patronorum, cresce fir-  
mitate corporis. Memor sis ingenui, quem tibi semper  
exhibui, amoris, et efficie, ut familiae tuae honoratissimae,  
cuius nomen ferme deletum est, gloria, et patris memoria  
per te renouetur. Medico studio dum te dedicasti, Medi-  
ci gnari, fidelis et probi nomen et omen aliquando habe-  
as. Cum vero hic, de quo modestia plura scribere vetat,  
orationem graecam de cura corpori adhibenda et carmen  
vernaculum valedictorium habuerit, sequetur eum Iuue-  
nis alacritate ingenii et indefessa diligentia commendabilis,

## II. Ioannes Gottlob Vnger,

*Carolsfeld. Misn.*

Hic a puerō in schola nostra adoleuit, sed patre honesto  
adhuc puer orbatus, multum temporis aliorum commodis  
dicare coactus est. Verum per indefessam industriam rem  
eo perduxit, ut non solum in musica arte, sed et in linguis  
latina, graeca, hebraica et gallica, arte poetica aliisque ele-  
gantioribus scientiis egregie proficeret, ita ut nunc ad aca-  
demiam non imparatus accedat. Vitembergensem, purioris  
doctrinæ sedem. Monita praeceptorum audiuit, et ea,  
**b 2** quæ

quaes probi discipuli officia requirunt, studiose obseruauit,  
et Deum in primis casto honore veneratus est. Dignus ita-  
que est patrocinio non solum Consanguineorum in nostra  
vrbe multa dignitate Conspicuorum, sed et Summe Vene-  
rabilis atque Magnifici HOFMANNI, de quo incertum est,  
Schneebergaene, an vero quondam Lipsiae et nunc Vi-  
tembergae maiorem honorem contraxerit. Abeat itaque  
hic etiam secundis auibus! Profectuum vero specimen an-  
tea editurus habebit orationem latinam de cura animae,  
gallicam de cura opibus dicanda, et carmen vernaculum,  
quo Schneebergam valere iubebit. Vtrique fausta quae-  
uis versibus germanicis totius scholae nomine apprecabitur  
Iuuenis sedata et proba vita, vt et laudanda diligentia flo-  
rens,

III. Petrus Paulus Schreiber, *Schneeberg.*  
recitata antea oratione gallica de cura famae non negligenda.

Ornate itaque, **VIRI** omnium Ordinum Spectatissimi, et hunc actum valedictorium et examen publicum scholae nostrae praesentia vestra, et ut haec omnia ex voto et pace vestra peragi queant, concedite. Certi sitis, hunc fauorem vestrum obliuionem in nostris animis nunquam abla-

turam esse. P. P. Schneebergae d. xx. April. s. die  
dominico II. post festos reuiuiscenti Christo dies,  
a. r. s. C I C I C C C C X X X X V I I I .





QK. 532, 54  
B. M. T.  
**DE MALIS LONGAE PACIS**  
PRAEEVNTE IVVENALI Satyr. vi. v. 347. 348.  
QVAEDAM COMMENTATVR  
ET

**VIROS**  
DIGNITATE MVNERVM LAVDE ERVDITIONIS  
ATQVE FAVORE SCHOLAE NOSTRAE  
CONSPICVOS QVOSVIS  
AC PRAECIPVE  
**EPHOROS**  
**SCHOLAE GRAVISSIMOS**

<sup>V T</sup>  
**ACTVI VALEDICTORIO**

D. XXV. APRIL. POST FINITA SACRA MATVTINA  
HABENDO  
VT ET

**EXAMINI VERNO**

A. CICCI 1748.

D. XXVIII. APRIL. ET SEQVENTIBVS  
EODEM TEMPORE INSTITVENDO  
BENEVOLI INTERESSE VELINT  
OMNI QVA PAR EST OPERA  
ROGAT

**DANIEL TRAVGOTT MULLER**

RECTOR SCHOL. SCHNEEBERG.

SCHNEEBERGAE

TYPIS CAROLI GUILIELMI FVLDAE.



59.

